INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM ANNI MDCCCLXXXI

A DIE XIX MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

PRAEMISSA EST

MARTINI HERTZ AD IOANNEM VAHLEN EPISTULA.

TYPIS OFFICINAE UNIVERSITATIS (W. FRIEDRICH).

Martinus Hertz Ioanni Vahlen S.

Cum nuper pro solita tua erga me comitate dono mihi misisses prooemium indici lectionum in universitate Berolinensi per hoc semestre habendarum a te, collega illustrissime atque amicissime, praemissum, cui adnotationes quasdam tuas ad Dionysii Longinive qui fertur de sublimitate libellum inseruisti, maxime animum meum particula illius commentationis tertia in se convertit, ubi (p. 11 sqq.) ea pertractasti, quae ibi cap. IX p. 23, 14 sqq. ed. Iahn. de Homeri Odyssea scripta sunt. Hoc enim loco duobusque eiusdem libelli aliis Udalricus de Wilamowitz-Moellendorff Herm. X p. 339 sq. lectoris alicuius indignabundi notas deprehendisse sibi visus est: is illa omnia nugas meras esse significaturus p. 23, 21 voc. πλάνος margini adscripsisse ei videtur ʻatque idemʼ, ait, ʻille lector scriptori infensus, cum apud Homerum παντάπασιν ἄθεα audivit inveniri, ἄλλως exclamat 21, 4 et 32, 8 ubi praecipitur ut in scribendo iudices librorum nostrorum Homerum aut Demosthenem fore nobis fingamus, πεπαῖχθαι haec sibi videri adnotavit. utrobique inania vocabula ab aliis deleta sunt, temerene an perspecta interpolationis causa, nescio.ʼ Tu vero haec, quae non dubitas multis placitura esse, tibi non probari fateris (l. l. p. 13): ʻut enimʼ ais ʻomnino de interpolatione et huius libri et multorum secus aliquanto quam plerique sentimus, ita illius generis, quod ex adnotato legentis iudicio natum putatur, nullum paulo certius exemplum novimus.ʼ Nec Aelii Spartiani Hadriano c. 20 ea medicina a Mauricio Hauptio [1]) nec Ciceronis de legg. II § 21 ab alio quodam v. d. recte adhibita esse tibi videtur eandemque etiam a libello illo περὶ ὕψους removendam esse censes. Ego de his tecum disputare nolo [2]), quae tibi aut falsa aut incerta esse videri testatus es, id potius iudicium, quod de hoc interpolationis genere in universum pronuntiasti, labefactare conabor, allatis aliquot exemplis, quae equidem vel prorsus vel satis certa huius generis documenta esse arbitror quaeque a te quoque non spretum iri confido.

Antequam autem ad singula tibi proponenda accedam in universum id praemonere mihi liceat, iam per se et, ut verbo apud philosophos usitato utar, a priori mirum fore, si inter tot veterum grammaticorum glossemata et interpretamenta, quae librariorum incuria in ipsum verborum ordinem sese insinuarunt, nullum talium iudiciorum vestigium in scriptorum ab antiquitate ad nos propagatorum codicibus extaret. Nam certe, eiusque rei indicia etiam a scholiis hodie superstitibus non desunt, praeter interpretationem, recensionem, emendationem, quae proprie ad γραμματικοὺς pertinebant, non defuisse inter ipsos illos grammaticos, qui κριτικοὺς quoque se praestarent, non est quod te, virum et γραμματικώτατον

---

[1]) Quamquam de verbis ʻnon satis novitʼ iudicium ambiguum esse ipse concedis.

[2]) De Longinianis, ut pervagato nomine utar, in universum iam tecum fere consentire videtur ipse Wilamowitzius Deutsche Lit.-Zeitung 1880, 11, 367 sq., quamvis suam de singulis locis sententiam non satis dilucide significaverit.

et κριτικώτατον, moneam, ne de aliis lectoribus loquar, quos et ipsos iudicia quaedam sua codicibus a se lectis ut tot alias variasque adnotationes adscribere nonnumquam solitos esse, per se sane non minus probabile esse videbitur quam ipsa haec iudicia, ut reliquas illas adnotationes, postea ab aliis cum ipsis scriptorum verbis descripta et deinceps interdum perperam ipsis his verbis inserta esse. Equidem sane in iis quae non minus scite ac subtiliter quam distincte et dilucide, ut assoles, de interpolationibus similibusque, quae recentiores frequentissime in veteribus auctoribus quales ad nos propagati sunt agnoscere sibi videntur, vitiis ac deformitatibus (plurali numero cum Gellio uti licebit) per tot scriptiones academiarum Vind. et Berol. commentariis, actis gymnas. Austr., museo philologico, indicibus scholarum universitatis Berolinensis potissimum insertas exposuisti, me tibi plane assentiri posse persaepe gavisus sum: nec tu exaggeratione illa, ut iterum cum Gellio loquar, strenue refutata, exempla tamen numerosa ad pervaria talium dehonestamentorum genera pertinentia extare negasti; huius autem unius specimen deesse censes.

Nolo premere ad sententiam meam probandam, quamvis assensus quoque testificatio iudicium fere nominari possit, assensus a librariis lectoribusve testificati vestigia in libris manuscriptis me quidem iudice non deesse, veluti, ut unum certe exemplum minus notum et non satis recte, ut mihi quidem videtur, adhuc explicatum afferam, in cod. Cic. de rep. lib. II § 16 'Tunc id quod retinemns hodie magna cum salute reipublicae, auspiciis plurimum obsecutus est Romulus' voc. 'plurimum' tertia, quam dicunt, manu superscriptum est 'accedo': quodsi 'voce ista superaddita comprobare quendam voluisse, quod 'auspiciis plurimum obsecutus est Romulus' ut Cic. Scipionem facit dicentem' censet A. Strelitz de antiquo Ciceronis reip. librorum emendatore (diss. Vrat. a. 1874) p. 15, equidem putaverim, voc. hoc ad totam hanc sententiam atque eo potissimum pertinere, quod magna cum salute reipublicae summum obsequium praestari auspiciis homo ille, superstitiosus certe ecclesiasticus, clericorum regimen comprobaturus significare voluerit. Sic ad totam sententiam loci Platonici de legg. XI p. 919 A sq.[1]) merito me quidem iudice ὀρθῶς illud, quod legitur in libris ante voc. ἁμαρτανόμενα rettulit Schrammius (Quaestt. de locis nonnullis legum Platonicarum part. VIII. progr. Glac. a. 1875 p. 7) improbato Stephani et Astii conatu, ad παρεσκευακότα id voc. transferri iubentium. 'Ascriptum' inquit 'erat enim in margine a librario aliquo, qui comprobare se sententiam de cauponum perfidia et malignitate indeque conflata omni cauponiae similibusque artibus infamia atque invidia a Platone prolatam addita hac voce breviter significare voluit, quam alii, ut sexcenties factum est, temere intulerunt in contextam orationem'. Equidem vero hoc exemplum eam quoque ob causam affero, quod in cod. Ω Bekkero teste ibi legitur αἰσχρῶς γρ. Hoc vero αἰσχρῶς quod alii quoque codd. nonnulli exhibere dicuntur, ab editoribus recentibus pro ὀρθῶς illo olim pervulgato in verborum ordinem receptum est: at videtur ne hoc quidem Platoni tribuendum esse, sed potius, quod

[1]) Νῦν δὲ ὁπόταν εἰς ἐρήμους τις καπηλείας ἕνεκα τόπους καὶ πανταχόσε μήκη ἔχοντας ὁδῶν ἱδρυσάμενος οἰκήσεις, ἐν ἀπορίᾳ γιγνομένους καταλύσεσιν ἀγαπηταῖς δεχόμενος ἢ ὑπὸ χειμώνων ἀγρίων βίᾳ ἐλαυνομένους, εὐδιεινὴν γαλήνην παρασχὼν ἢ πνίγεσιν ἀναψυχήν, τὰ μετὰ ταῦτα οὐχ ὡς ἑταίρους δεξάμενος φιλικὰ παράσχῃ ξένια ἑπόμενα ταῖς ὑποδοχαῖς, ὡς δ' ἐχθροὺς αἰχμαλώτους κεχειρωμένους ἀπολυτρώσῃ τῶν μιαρωτάτων καὶ ἀδίκων καὶ ἀκαθάρτων λύτρων, ταῦτά ἐστι καὶ τὰ τοιαῦτα ἐν ξύμπασι τοῖς τοιούτοις ὀρθῶς (αἰσχρῶς al.) ἁμαρτανόμενα τὰς διαβολὰς τῇ τῆς ἀπορίας ἐπικουρήσει παρεσκευακότα.

etiam Schrammius l. l. indicat, ad refellendum illud ὀρθῶς ei esse oppositum, ita ut ille librarius sane ipsum Platonem sibi vituperare visus sit. Plane igitur hoc exemplum ei generi, de quo nos quaerimus, adnumerandum esset, nisi re vera illud αἰσχρῶς glossema esset librarii alterum glossema ὀρθῶς improbantis, ut non plane id efficiat, quod tu, illustrissime collega, desideras.

Non prorsus sane idem, sed ita comparatum, ut alterum illud tamquam complementum exposcere fere sibi videatur, id est genus depravationis, quo ea quae librariis displicent non vituperatione quidem adscripta notantur, sed in contrarium mutantur, quod piis illis hominibus commendandum inculcandumque Christianis lectoribus videbatur. Cuius rei exempla satis faceta a Wölfflino Lucianoque Müllero allata nuper de toto hoc genere verba faciens composuit Dom. Comparetti Virgil im Mittelalter p. 80 ed. Germ. Nec minus idem adnotat, non deesse notas marginales ipsos auctores conviciis insectantes eiusque rei exemplum et ipsum a Luc. Muellero (ann. phil. 93, 395) petitum aliquot Luciani codicum affert, quorum marginibus ὦ κάκιστε ἀνθρώπων, ὦ μιαρώτατε, similia adscripta sunt.

Vel magis ad id, de quo loquimur, accedit ea carminis Lucretiani interpolatio, quam a lectore quodam philosopho, Epicureae disciplinae atque ipsi poetae non favente Lucretiique versibus sive suos inserente, qui praecepta eius refellerent [1]), sive alios ex ipsius Lucretii carmine petitos adscribente, quibus sibi ipse poeta videretur contradicere [2]), Car. Lachmannus sibi visus est agnoscere. Equidem totam hanc materiam hic persequi nolo, unum tantum huius alterius generis exemplum ex carminis totius prooemio afferam, versus scil. lib. I, 44—49 omnium consensu ex lib. II v. 646—651 L. hic intrusos. De hoc enim panno male assuto tuum ipsius iudicium afferre mihi licet ex ea commentatione petitum, qua prooemium illud luculentissime enarravisti nunt. acad. reg. Berol. menstr. a. 1877 p. 479 sqq. inserta. Dicis ibi hos versus nihil esse — liceat mihi ipsis verbis tuis uti — 'als die in den Text gedrungene Randbemerkung eines müssigen Lesers, der den Widerspruch bemerklich machen wollte, in welchen der Dichter durch dieses sein Anliegen an die Gottheit mit seiner eigenen Lehre sich setze'.

Sed omnibus his ipsam quaestionem acu non tangi, sed modo, ut ita dicam, stringi indeque probabile tantum fieri, illius etiam quod tu exulare iubes generis non defore exempla, consentaneum est. Nec ea mihi afferre licebit quae tanquam huc pertinentia composuit Cobetus in adn. ad p. 29 or. de arte interpretandi etc. (Lugd. Bat. a. 1847) ibid. p. 137 sqq., cum certe tibi ignota non sint eaque tantum tibi propositurus sim, quibus adsensurum te esse sperem. Ac sane id quod ex his maxime indubitatum mihi videtur ne prorsus quidem huc pertinet; irridetur enim ibi gulo ab Alciphrone descriptus, non ipse Alciphro glossemate 'πάσχει τὰ δίκαια' epp. III 7, ubi libri οἷα γὰρ οἷα πάσχει τὰ δίκαια λακκόπλουτοι εἰργάσαντό με ἄλλος ἄλλοθεν περιττὰ πίνειν καὶ πλείω ἢ κατὰ τὸ κύτος τῆς γαστρὸς ἐσθίειν ἀναγκάζοντες, ubi legendum esse οἷα γὰρ οἱ λακκόπλουτοι. agnovit Stephanus Berglerus, probavit Augustus Meinekius.[3]) Haud fere distat haec hominis gulosi irrisio ab ea,

---

[1]) Tractavit hoc interpolationis genus nuper Frid. Hofmann de interpolationibus Lucretianis. diss. inaug. Halens. a. 1875 p. 33 sqq.

[2]) Cf. C. Gneisse de versibus in Lucr. carm. repetitis. diss. inaug. Argentorat. a. 1878 p. 13 sqq.

[3]) [Sic etiam Hercherus, cuius editionem nunc demum inspicere potui.]

qua fragmento cuidam Luciliano (lib. XV fr. III L. M.) in cod. aliquo recentiore Nonii Marcelli s. v. senium (p. 2, 28 M.): [1])

In numero quorum nunc primu' Trebelliu' multost
Lucius, Arcesilai (*s.* Arcesilae) febris, senium, vomitus, pus

adglutinata esse dicitur clausula 'et perpetua sitis'.

Locis l. l. propositis alium nuper addidit criticus ille Batavus Mnemos. N. S. VIII p. 190, in Ciceronis ep. IX 25, 1 sq. 'Nescis, quo cum imperatore tibi negotium sit ... Nunc ades ad imperandum vel ad parendum potius, sic enim antiqui loquebantur' verba 'vel ad parendum potius' pro insiticiis habens. Sed quod addit ad hanc sententiam probandam, mihi haud ita comparatum videtur, ut tibi sententiam suam persuadere potuerit vir sagacissimus. Quare hoc loco non magis adversus te uti volo quam illis.

Nec prorsus huc pertinere tibi videbitur, quamvis ad ipsam hanc corruptelae speciem proxime sane accedat, locus aliquis Gellii, ubi ipsam interpolationem indicavit I. F. Gronovius, interpolationis vero originem equidem aperuisse mihi videor philol. XIX p. 161 sq. Ibi enim (N. A. IV 11, 3) libri Gelliani Ciceronis verba ex libro de divin. I § 62 sic afferunt 'Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne faba vescerentur, quae res habet inflationem magnam. Is cibus tranquillitatem mentis quaerentibus constat esse contrariam', quae apud ipsum Ciceronem sic leguntur 'Ex quo ... vescerentur, quod habet inflationem magnam is cibus tranquillitati mentis quaerenti vera contrariam'. Id enim ita explicandum esse arbitror, ut lector aliquis Ciceronis studiosus, qui non recte a Gellio haec verba descripta esse observasset, adnotaret: "'is cibus' constat esse', quae verba ad marginem ut arbitror duabus lineis continuis ita fere adscripta

is cibus
constat esse,

postea in verborum Gellianorum ordinem perperam iis locis, quibus nunc discissa leguntur, irrepserunt.

Sane hic habes interpolationem ex adnotato legentis iudicio natam, qua dicitur Gellius locum Ciceronianum afferens ipsa Ciceronis verba haud ita accurate rettulisse. Sed cum hoc ita fiat, ut simpliciter verba illa Ciceroniana adscribantur nulla improbationis nota expresse addita, ne hunc quidem locum ita comparatum esse, ut ad sententiam tuam refellendam plane sufficiat, ipse concedo.

Missis iam his omnibus, quae partim non prorsus huc pertinent partim a te non probatum iri suspicor, nonnulla tamen exempla huius interpolandi generis afferre mihi posse videor, quae vix dubitationem aliquam admittant. Sunt autem haec ex litteris Latinis repetita, cum ex Graecis quae tanquam certa proponerem non invenerim, nisi locum illum Platonicum, quem quadamtenus tantum in censum venire posse ipse confiteri debui. Pertineret huc Antiphontis sententia quaedam (fr. 132 p. 187 Bl.), si recte sic constituenda esset, qualem Meinekius eam exhibuit in recensione sua florilegii Ioannis Stobaei (98, 56 t. III p. 231) Εὐκατηγόρητος πᾶς ὁ βίος (θαυμαστῶς) ὦ μακάριε καὶ οὐδὲν ἔχων περιττὸν οὐδὲ μέγα καὶ σεμνόν· ἀλλὰ πάντα μικρὰ καὶ ἀσθενῆ καὶ ὀλιγοχρόνια καὶ ἀναμεμιγμένα λύπαις μεγάλαις,

[1]) Sequor emendationem O. Ribbeckii mus. phil. 29, 132; cf. etiam Munro journ. of philology VIII 16, 1879, p. 223.

quod mihi quidem valde arridet; sed cum hac de re alii aliter censeant, veluti Sauppius et Blassius, nescio num tu hunc locum pro exemplo paulo certiore accepturus sis. Illi autem loci ex litteris Latinis desumpti, atque duo quidem ex Ciceronis scriptis philosophis, tertius ex Pomponii Melae de chorographia libris, mihi ita videntur comparati esse, ut eos de variis interpolationis generibus in scholis de philologiae encyclopaedia habitis per ipsum hoc semestre hibernum, perlecta igitur disputatione tua, disserens, quamvis, ut tu ipse haud nescis, magnum auctoritas tua apud me pondus habeat, commilitonibus tanquam manifesta interpolationis ex iudicio legentis natae exempla proponere non dubitaverim.

Horum autem locorum Ciceronianus alter invenitur in libro de natura deorum secundo. Ubi inde a § 127 providentiam deorum in mundi ornatu perpetuo conspicuam exponens multis aliis huius curae exemplis propositis sic pergit Cicero (§ 131): 'Multaque alia in aliis locis commemorabilia proferre possum, multos fertiles agros alios aliorum fructuum. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tamen multa ad vescendum, tam varia et tam iucunda gignit, neque ea uno tempore anni, ut semper et novitate delectemur et copia! Quam tempestivos autem dedit, quam salutares non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quae oriuntur e terra, ventos Etesias! quorum flatu nimis temperantur calores; ab isdem etiam maritimi cursus celeres et certi deriguntur. Multa praetereunda sunt: enumerari enim non possunt fluminum opportunitates, aestus maritimi mutuum [1]) accedentes et recedentes, montes vestiti atque silvestres, salinae ab ora maritima remotissimae, medicamentorum salutarium plenissimae terrae, utilitates denique innumerabiles ad victum et ad vitam necessariae'. Quae omnia descripsi, ut pateret, verba post 'multa praetereunda sunt' in libris mss. tradita 'et tamen multa dicuntur' optimo iure a C. F. W. Müllero (ann. phil. 89, 135) esse eiecta, hominis sc. non sine irrisione quadam mirantis, quod Cicero, qui multa praetereunda esse dicat, tam multa tamen adiciat. 'Was diese Worte aber' sic Müllerus inquit 'im Munde Ciceros hinter 'multa praetereunda sunt' heissen können, ist mir vollkommen unbegreiflich'. Secutus Müllerum est, ne addam, eandem rationem in sua ipsius editione ab eo adhibitam esse, Baiterus in ed. Cic. Tauchnitiana.

Ipsa illa annalium philologicorum pagina, qua Ciceronianum hunc locum et acutissime et me quidem iudice certissime sanavit, duos alios locos Ciceronianos amicus ille meus in comparationem advocavit, pridem eadem ratione a viris doctis restitutos. Quorum alter, ut mihi quidem videtur, illo non minus certum eius, de qua loquimur, corruptelae exemplum praebet, de div. lib. II § 21. Ibi haec leguntur in codicibus manuscriptis 'Quodsi fatum fuit bello Punico secundo exercitum populi Romani ad lacum Trasumennum interire, num id vitari potuit, si Flaminius consul iis signis iisque auspiciis, quibus pugnare prohibebatur, paruisset? Certe potuit. Aut igitur non fato interiit exercitus aut, si fato — quod certe vobis ita dicendum est —, etiamsi obtemperasset auspiciis, idem eventurum fuisset; mutari enim fata non possunt'.[2]) Hic verba 'Certe potuit', quibus 'Certe non potuit' substituit Pearcius, recte a Davisio, cui editores recentiores quod sciam omnes secuti sunt, uncis inclusa esse, non negabis. Haud ita certo affirmare ausim, eodem pertinere alterum

[1]) Sic scripsi cum A. Briegero Beiträge zur Kritik einiger philos. Schriften des Cicero. Posnan. 1873 p. 18 sq. 'multum' libri.

[2]) De h. l. praeterea constituendo cf. Müllerum l. l. p. 609; 625 coll. A. Weidnero phil. 38, 86.

tibi visum iri, quem eadem ratione emendare studuit Hottingerus, assentientibus editoribus recentioribus plerisque, Christio, Baitero, Müllero, eiusdem sc. libri § 94. Leguntur ibi in libris haec: 'Haec igitur cum sit tum serenitas, tum perturbatio caeli, estne sanorum hominum hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere, quod non certe pertinet, illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intellegi autem vix potest, quae a luna ceterisque sideribus caeli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere?' In quibus vocc. 'quod non certe pertinet' eiectis me quidem iudice optime nexus sententiarum restituitur. Sed alii aliter: 'quod certe pertinet' scribi iussit Davisius, 'quod certe non pertinet' Schuetzius, quem praeter Orellium sequitur Madvigius emendationum ad Ciceronis libros philosophicos part. I (un.) p. 36 sqq. satis fuse de h. l. intellegendo et distinguendo disputans, cui assensus est in adn. ad h. l. Giesius ed. suae horum librorum Lipsiae a. 1829 publici iuris factae p. 312 sq.

Sed cum in hac vv. dd. dissensione quae tua sententia futura sit augurari nequeam, eum locum in censum non vocavi, tertium autem Ciceronianis illis duobus addo ex Pomponii Melae lib. III § 53 petitum hunc de Iuverna (Hibernia): 'Super Britanniam Iuverna est paene par spatio, sed utrimque aequali tractu litorum oblonga, caeli ad maturanda semina iniqui, verum adeo luxuriosa herbis non laetis modo, sed etiam dulcibus, ut se exigua parte diei pecora impleant et nisi pabulo prohibeantur, diutius pasta dissiliant. Cultores eius inconditi sunt et omnium virtutum ignari [1]) quam aliae gentes, pietatis admodum expertes'. Male adglutinata hic esse post verba 'omnium virtutum ignari quam aliae gentes' in libris fere omnibus haec: 'aliquatenus tamen gnari' [2]) dudum intellectum est; recte hoc glossema hominis iudicium severum Pomponii de Iuvernae incolis suo ipsius iudicio lenituri ita explicat C. Bursianus in censura ed. a Gust. Parthey Berolini a. 1867 foras datae (ann. phil. 99, 633), ut codex ille Pomponii primarius Vaticanus saec. X [3]) (crediderim potius archetypum eius nominandum fuisse) a monacho ex Hibernia Scotiave oriente scriptus sit, 'der', ut ipsius verbis utar, 'jenen Zusatz seinem Patriotismus schuldig zu sein glaubte'.

Equidem, cum hae interpolationes glossatorum iudicia continentes certissimae mihi esse videantur, spero te quoque in eandem sententiam transiturum concessurumque mihi esse, non prorsus deesse exempla interpolationis ex adnotato legentis iudicio natae. Neque id fere dubium mihi esse videtur, quin praeter haec, quae per aliquot annos accuratius talia conquirenti atque adnotanti mihi forte fortuna sese obtulerunt, alii alia ex utriusque sermonis reliquiis petita addere possint. Sed iam ea quae nunc prodeunt ad sententiam meam stabiliendam mihi videntur satisfacere. Tu autem haec, quaeso, pro vetere quae mihi tecum per hos fere ter novenos annos est necessitudine nunquam interrupta amice comiterque accipias, ut amice comiterque a me tibi offeruntur; si vero habes, quae mihi opponas, equidem meliora a te edoceri non gravabor. Vale.

Scr. Vratislaviae m. Ian. a. MDCCCLXXXI.

---

[1]) Sunt qui auctore Pintiano, adsentientibus libris nonnullis 'magis' h. l. inserendum esse censeant, cum quibus faciunt editores recentissimi G. Parthey et C. Frick (ed. Lips. Teubn. a. 1880).

[2]) tantum Par. 2; ignari R. Vind. ap. Parth.

[3]) 'saec. IX vel X' Parthey p. XXI; 'decimo (ineunte ut videtur) scriptus' Ad. Michaelis ibid. p. X cf. Frick p. VIII.